



2b. 15



15. 6.
25

RECTOR
ACADEMIÆ
FRANCOFURTANÆ
DAVID ORIGA-

NUS MATHEMATUM

Professor P.

Ad

Justa exsequiarum,

quæ

MATRONÆ

*Primariæ, omniumq; muliebrium virtutum laude
conspiciæ*

EVÆ RADTMANNIÆ

Excellentissimi & Cl. Viri

DN. M. CALEBI TRYGOPHORI

*Organi Logici quondam Professoris
celeberrimi*

Relictæ viduæ

Socrui suæ desideratissimæ

VIR CL.

DN. M. THEODORUS EBERTUS

Sanctæ Linguæ Professor P.

Gener Unicus

Nonis Martij

honorificè persolvere constituit

Omnes Jurisdictioni suæ subjectos amanter invitat

ANNO M. DC. XXII.

Literis HARTMANNIANIS.



A Pud Romanos Kalendis Martiis matronæ quotannis rem divinam Junoni facere solebant: ut is annus ab exordio totus & in partu, & amore conjugali, & incorrupta sanitate felix esset & faustus. Non malè illæ quidem, nec impiè: si modò nō commentitiæ & fictæ Deæ, sed verò & immortalī Deo sacra fecissent. Cum n. omni tempore pro corporis incolumitate, & vitæ cōmoditate ac prosperitate Deo supplicandum esse nemo negare potest: nisi qui pro obtinendis futuri tantum temporis bonis apertas Dei aures, pro præsentibus a. clausas atq; obstructas existimet: tum maximè sub finem mensis purgatorii, & initium ejus, quem nomine bellatoris illius Dei inscriptum Mortium vocant, nō Martium, votivas cōcipere preces decet: immò oportet. Sunt namque hi menses, ut Junius & Majus omnium jucundissimi, Julius & Augustus calidissimi, iidemque juxta & September ac bona pars Octobris laboribus, quos opulenta tamen messis & vindemia solantur, plenissimi; ita ipsi corporibus nostris maximè infesti & incōmodi. Enimverò circa hoc tempus, quo hyems ferè decedit veri, corporis nostri profundum expurgari incipit: & vitiosi atq; à naturâ alieni humores, hiberno tempore in eo delitescentes, à membris locum principem tenentibus ad exteriora & cutem ipsam detrudi. Quò fit, ut tametsi ver naturâ suâ *ὑγιεινότερα τῶν χειμῶν* *ἢ κατὰ θανάτῳδες*, saluberrimum & minimè exitiosum maximus Medicorum & naturæ peritissimus Hippocrates pronunciat: reliquæ tamen pravorum humorum, hyeme collectorum, non nihil ex salubritate ejus decerpant, & satis uberem morborum segetem ac materiam suppeditent. Verè namque, ait idem divinus senex, *furores, atra biles, morbi comitiales, profluvia sanguinis, angina, gravedines, raucedines, tusses, lepra, impetigines, vitiligines & pustulae ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores* omniū locorū homines pervagantur. Et docuit nos multorum annorum experientia, adpetente vere multò plures, quam aliis anni partibus, in gravissimos morbos incidisse, & periculosè agro-

tasse: non pauciores vi morbi victos vitam cum morte commutasse: culpâ si non temporis, certè quidem corporis, quod vitiosos humores in autumnò & hyeme accumulavit. Atq; ejus rei exemplū capi quoq; hodie potest ex honestissimâ, omniumque virtutum laude cumulativissimâ matronâ, EVA RADTMANNIA: CL. Viri, DR. M. CALEBI TRYGOPHORI, Professoris quondâ apud nos laudatissimi, relictâ viduâ: quæ nudius sextus, proximo à Kalendis Martiis die, vitam suam, cujus cursum & exitum ad arbitrium unius Dei contulerat, posuit. extremumq; vale Filia suæ unicæ, uniceq; dilectæ, & Marito ejus jucundissimo, Genero suo exoptatissimo dixit. Quo tametsi animis illorum, pro vehementiâ filialis affectus nihil potuit ad dolorem accedere acerbius: in spem præsertim erectis maximam, fore ut & privatis ipsorum, & publicis ecclesiæ precibus mater divinitus donata, domus custos, & adjutrix in re familiari diutius esset: luctū tamen eorum & dolorem non nihil leniet illa cogitatio: nec sine clementissimâ Dei voluntate matrem migrasse: nec ipsam in vitam & repugnantem personam hujus vitæ deposuisse: fabulam a. vitæ suæ concinnè peregisse; & in omnibus ejus actibus plausum non captasse quidem, sed tamen meruisse. Si primum actum & ingressum in hanc vitam inspicimus: ampla & honesta est familia, ex quâ ortum habuit: optimi & omni laude celebratissimi Parentes, quorum satu edita fuit. Familia ex parte patris *Radtmannia* est; ex partē matris *Cnospelia*: illa Francofurti, ista Crofnæ celebris: utraq; multis edecumata pietatis, Professoriæ dignitatis, Senatorij Ordinis viris clara ac nobilis. Pater illi fuit *Bartholomæus Radtmannus major*, *Joannis Radtmanni Senatoris & Camerarij reipub. opidanae ex Elisabethâ Winsiâ. Martini Winsij Consulis*, & *Margarethæ Hackemans Natâ*, Filius, Vir Amplis. & Consultis, quem & Sereniss. Elector *Joannes-Georgius* inclytæ recordationis primitus studiorum suorum Formatorem, postea Consiliarium & Oratorem; & Respub, Colbergensis Syndicum;

cum; & Academia nostra Professore juris; & Juriscōsultorum
Ordo Ordinarium usq; ad annum vitæ LXXIV. non sine eximio
fructu & laude habuit. Mater *Regina Cnospelia*, matrona honora-
tissima, *Clementis Cnospelij Cōsulis Crosnensis ex Elisabethâ Dorin-*
gâ Filia, Martini & Christophori Benckendorfforum, illius Professo-
ris emeriti, istius Consiliarij Electoralis & Marchiæ Vicecan-
cellarij bene meriti Soror uterina. Hisce ex parentibus & Eva
anno Christi M.D. LXII. VI. Id. Sextil. nata est: & Fratres duo
Christophorus & Bartholomæus Radtmanni: hic Theologiæ, ille ju-
ris Doctor; uterque vivo parente Professor: iste etiam Senatus
Populique Vratislaviensis Syndicus, & Sacræ Cæs. Maj. & Illus-
triss. Ligio-Bregensium Ducis Cōsiliarius: Sorores itidem tres:
nata maxima *Elisabetha, D.D. Thomæ Reichenau*, & post hujus mor-
tem *Joanni Hieronymi F. Lindnero*, Augustissimo Lignicensium
Duci à Consilijs; media *Regina Nobilissimo Dn. D. Maximiliano*
de Strassen in Mantschenau, Antecessori juris apud nos rube do-
nato; nata minima denique *Catharina, Dn. D. Hieronymo Winsio*, in
Electoralis Neomarchicæ Dicæarchiæ Advocato nupta: quæ ex
omnibus Dn. D. Radtmanni majoris filiis & filiabus sola super-
stes est. Si ad alterum actum, & progressum vitæ animum referi-
mus: educatio, quam nacta est matrona nostra, liberalis fuit:
maritus, cui nupsit, clarissimus: conjugium, quod obtigit, pro-
re natâ secundum satis & foecundum. Enutrita à parentibus est
in disciplinâ & monitis sanctis: educata non ad otium, luxum
aut fastum: sed ad pietatem, modestiam, rei familiaris rectio-
nem, cæterasq; fœminâ isto loco natâ dignas virtutes: quarum
specimina & cum virgo erat, & cum in matrimonio vivebat, &
vidua postea multa edidit atque præclara. Anno Christi M.D.
xcii. xii Kal. Sept. nupsit *Dn. M. Calebo Trygophoro*, magni no-
minis & famæ, majoris doctrinæ & eloquentiæ, maximæ probi-
tatis & innocentiae viro: quem quatuor liberorum in tranquil-
lo & jucundo unius & viginti annorum conjugio patrem
duorum masculorum; totidem fœmellarum. Hic ver

non ad omne ejus votū fluxit : nec irretortis eam oculis adspe-
xit: sed, cum maximè splendere videbatur, frangi cœpit. Vivo e-
nim adhuc marito, duos de quatuor illis liberis extulit: *Jonam*
quidem *avi paterni, qui Vvolrado Seniori, Comiti Waldeccensi à con-*
siliis sacris & concionibus, ac totius Comitatus Superadtendens ipsos
tres & triginta annos fuerat, nomen gerentem xv. Kal. Aprilis,
anno 1601, posteaquam octo tantum vixerat menses: *Euphrosy-*
nen verò propriè Kal. Januarii anno 1609, sexdecim circiter
annorum virginem, supra sexum atq; ætatem ingenio, memo-
riâ, & quod maximum, virtute præstantem. Magnum matrona
nostra ex gemino hoc funere accepit dolorem: sed quem tamē
gravissimâ & suavissimâ mariti sui amantissimi oratione ere-
cta, & superstitem duorum liberorum adspectu recreata conco-
xit. Accessit major calamitas anno Christi M. DC. XIII, quo pesti-
litatis apud nos grassantis metu, dum Professorum alii aliis in
locis sibi consulunt, ipsa cum marito in castrum Custrinense, &
naturâ loci & vallis ac muris munitum, securitatis causâ, ad a-
micissimam Sororis invitationem, se contulit. Ibi à peste quidē
rutus fuit maritus: sed non à morte: quam a. d. 4. id. Decemb. e-
jusdem anni nocte intempestâ obiit: unde max. iterum matro-
næ nostræ inflicto vulnus, acerbissimus iniustus doloris fen-
sus, maximum desiderium relictum. Tulit tamen onus viduita-
tis, ut potuit: & adspectu alloquioque *filie Salomes*, puellæ suavis-
simæ, & *filii Christophori*, qui patrem lineamentis repræsentabat,
amissionem conjugis leviolem sibi reddidit. Huic posteaquam
implacabilis mors anno Christi 1615, ætatis decimo nono, in
medio flore, virtutisque & industriæ cursu, vitam præcidit: & al-
tero quoque oculo, qui post mariti mortem relictus erat, matro-
nam nostram privavit: incredibili quidem luctus & doloris sen-
su ipsa tacta, nec tamen penitus animo fracta est: cum unicam
adhuc sibi filiam, de marito dulcissimo susceptam, superesse vi-
deret: sciretque *delicati esse membri, sub capite crucifixo querere rosas.*
Didicerat

Didicerat nimirum id ex institutione parētum domi: & in san-
ctuario Domini publicè: quod frequētare solebat virgo adhuc,
non dominicis tantum, sed etiam cæteris diebus, mane & vespere:
sive conciones sacræ haberentur, sive publicæ ad Deum preces
funderentur: nec eum morem deseruit aut uxor Dn. Calebi
facta, aut post eius mortem facta vidua: dum per valetudinem
licuit. Pietatis enim cultrix erat quam maximè: nec eam linguâ
tantum usurpabat, sed in pectore infixam habebat: & quam cor-
de premebat, adsiduâ verbi, ut dixi, divini auditione, jugi lecti-
one, crebrâ meditatione, frequenti cœnæ dominicæ usurpatio-
ne, continuâ piarum precum recitatione, mirâ calamitatum &
ærumnarum sibi divinitus immissarum tolerantia, injuriarum
patientia, observatiâ erga maritum, animi tranquillitate, erga
vicinos humanitate, erga omnes comitate, beneficentiâ atque
liberalitate erga pauperes, maximè verecundiores illos & ti-
midioris ingenij, promebat. His enim dandum potissimum
putabat exemplo Attici, Episcopi Cōstantinopolitani: qui Cal-
liopio, Niceno Præsuli trecentos aliquândo aureos misit, petens:
ut eam pecuniam illis tātum distribueret, quos publicè stipem
petere puderet: validis verò mendicantibus & vagis, qui men-
dicandi victus q. artem quâdam factitarent, nihil daret. Utilius
namq; rectè ut Augustinus scripsit, esurienti panis tollitur, si
de cibo securus justiciam negligat: quam esurienti panis fran-
gitur, ut injusticiæ seductus acquiescat. Hecdicium ferunt Avi-
ti Imperatoris Filium in egenos unicè liberalem fuisse: & vo-
cem ad se divinitus delatam audivisse: Hecdici, Hecdici, tibi &
semini tuo panis non deerit in sempiternum. Nostra quoque
matrona hanc pietatis & liberalitatis in pauperes mercedem
tulit: ut opib. mediocriter aucta fuerit: & paterna bona omnia
possederit: eademq; Filix & Genero unico reliquerit: etsi non
nihil delibavit, legato ad pias causas, & præsertim ad viduarum
à literatis viris relictarum, vel tenuiorum scholasticorum su-
stentationem relicto: quo tantum abest, ut hereditati aliquid

decesserit: ut etiam in tuto reposita sit: quippe quæ Deo custode
servatur In ultimo deniq; vite actu si cogitationem defigimus:
vitæ status, in quo obiit, honestissimus; excessus ipse beatissi-
mus fuit. Univira obiit & vidua: quod genus hominum, etsi à
multis deludi, à non paucis pecuniâ emungi, ab iis etiam, qui
tueri & solari debebant, affligi solet: tamen Deum & Patrem,
habet, & Tutorem, & Judicem & Vindicem: præsertim si carne
& spiritu sanctæ sint: hoc est, perfectione castitatis, quâ fulgent
in corpore, fulgeant etiam in mente: qualis certè omnium suf-
fragijs, nemine repugnante fuit, dum vixit, *Eva Radtmanniâ*. O-
biit autem voti compos facta: dum, quod unice post mariti &
cæterorum liberorum mortem optabat, *Et optimè educatam fi-
liam Salomen*, quam de quatuor liberis unam & solam ipsi super-
stitem Deus reliquerat, & ante triennium, anno ætatis sexto &
decimo, *cum marito Clarissimo simul Et placidissimo, Dn. M. Theodoro*
Eberto, S. Lingua Professore P. tum temporis Pro-Rectore Magnifi-
co, nuptam, conjugesque hos summâ animorum conjunctione
atque benivolentiâ inter se devinctos suis ipsa vidit oculis, hau-
sit auribus, & ut sic dixerim, manibus quoque palpavit: & ex iis-
dem Neptem cõspexit; quam, ut aviarum pietas in neptes sem-
per major est, tenerrimè amavit, & ceu senectutis suæ solatium
svavissimè semper amplexata, & dissvaviata est. Mortem ipsi
tulsis perinax adtulit: quæ ab aliquot jam annis iniqua valetu-
dine conflictantem a. d. v. Kal. Martij invasit, viresque ejus o-
mnes adflixit. Cumque eam neque expectorantia remedia, ne-
que alia Medicorum præsidia lenire & amoliri possent: tandem
ipsa vim & impetum in senili & attenuato corpore non diu su-
stinens, jamque sexagesimum annum agens, sexto die post pla-
cidè sine motu & metu exspiravit: cum octiduo ante, quam de-
cumberet, quasi mortis suæ præsaga, sacro epulo animam fame-
licam refecisset: eandemque in manus Servatoris, præsentibus
& oculos claudentibus Filiâ, Genero, & Sorore superstite resi-
gnasset. Nihil ipsa jam aliud hisce in terris expectat: nisi ut ad

Patres, quomodo sacra loquuntur literæ, adponatur suos: & corpus terræ reddatur, & quasi matris operimento obducatur: quod apud Xenophontem à liberis quoque suis postulabat nunquam satis laudatus Persarum rex Cyrus. Id quia facere hodierno die CL. Dn. Gener, ritu Christiano, & sollemni funeris pompâ, animo destinavit: certiores vos, *Nobilissimi & Præstantissimi academia cives, hoc programme facere volui: & ad exsequias defunctæ matronæ honestissimæ, CLL. Professorum Filia, Sororis, Uxoris, Socrus, amanter atq; humaniter invitare: certâ spe fretus, futurum, ut studiis vestris non nihil sequestratis ad exiguum tempus lugubri huic vacetis officio: eademque operâ & præstantissimorum virorum præteritis ac præsentibus meritis gratiam aliquam referatis: & illorum amorem ac benivolentiam magis magisq; provocetis. Quemadmodum enim est acerbum, pro benefactis cum malam messem metis: ita si quid bonis bene fit, esse idem & grave & gratum solet.* Bene valete & vivite: atque ut valere & vivere bene possitis, valetudinem vestram hoc maximè anni tempore diligenter curatè: & à crapulâ, quæ multorum periculosiss. morborum mater, ab ebrietate, quæ *μανίας μελέτη*, insaniam meditatio est, vos abstinete: omnemq; diem vobis supremum diluxisse credite. *Non est enim, ut sapienter & graviter Musonius scripsit, presentem diem bene transigere: nisi qui proponit velut ultimam illam transigere.*

M. C. N.

Ja 666

ULB Halle
002 177 021

3



5b-700



Von 7

MC





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



15.6.
25

TOR
E M I Æ
FURTANÆ
ORIGA-
HEMATUM
ffor P.
Ad
quarum,
næ
RONÆ
liebrium virtutum laude
pica
TMANNIÆ
ni & CL. Viri
TRYGOPHORI
ondam Professoris
errimi
e viduæ
esideratissimæ
CL.
DRUS EBERTUS
e Professor P.
Unicus
Martij
luere constituit
subjectos amanter invitæ
DC. XXII.
MANNIANIS.